

per tacitos intellectus, sicque fiat extensio in correctoriis? Resp. Quamvis regulariter in correctoriis non fiat extensio ultra expressa in posteriori lege corrigente, ut dictum est num. 500. et seqq. sicque correctio juriam (ac multo minus ipsorum revocatio, sive abrogatio) non sit inducenda per tacitos intellectus, ut proxime dictum: nihilominus etiam hæc regula quasdam patitur fallentias, atque limitationes, juxta illud generale dictum, « Nulla regula sine exceptione. »

509. I. *Correctio juris censetur favorabilis, ac extendenda, quando per eam reditur ad jus commune antiquum.* — Et primo quidem, correctio juris censetur favorabilis, ac proinde extendenda, quando per eam reditur ad jus commune antiquum. Ratio est, quia res de facili revertitur ad suam naturam, sive statum pristinum, can. *Ab exordio*, dist. 35. et c. *Si unus*. § *Pactis*. ff. *de Pactis*. ac proinde non est mirum, quod lex posterior, quæ corrigat aliud jus correctivum, et reducat nos ad terminos antiquæ legis, censeatur favorabilis, ac idcirco extendenda. Glossa in c. *Statutum*, 3, § *Numerandum. de Præbend.*, in 6; Jason, aulh. *Quas actiones*, n. 24 et 29, C. *de Sacrosanct. Eccles.*; Gammarus cit. tract. *de Extensionibus*, num. 137; Fagnanus in c. *Non amplius*, 63. *de Institut.* citans Hostiensium, *A communem aliorum*, ac declarans istud in casu concilii Trident. sess. 25, cap. III. *de Regular.* ubi, cum episcopis restituatur facultas concedendi licentiam pro erigendis de novo monasteriis in suis diocesisibus (quæ facultas ipsis fuerat ablata a Bonifacio VIII. in cap. un. *de Religios. domib.*, in 6.) hæc juris Bonifaciani correctio censetur favorabilis, lateque interpretanda: quia per eam fit reditus ad jus commune ab antiquo competens episcopis.

510. II. *Quando intervenit identitas rationis in lege expressa: quia tunc recte fit extensio etiam in correctoriis.* — Secundo. Fallit data regula, atque in correctoriis juris fit extensio ultra expressa in lege corrigente per tacitum intellectum, quando intervenit identitas rationis in lege expressa: prout jam dictum, numer. 507.

511. III. *In æquiparatis etiam procedit extensio.* — Tertio. Correctio juris facta in uno æquiparatis, censetur corrigere in alio, sibi per legem antiquam in omnibus, et per omnia æquiparato; quia tunc ejusmodi extensio, atque interpretatio procedit ex vigore juris antiqui, talia inter se æquiparantis:

prout l. I. ff. *de Legatis*. l. per omnia exæquata sunt legata fideicommissis: ac proinde dispositum, sive correctum in uno, censetur dispositum, atque correctum in altero, Glossa in c. *Si postquam. y Provisione, de Election.*, in 6. Jason, cit. aulh. *Quas actiones*, n. 19 et 23. C. *de Sacrosanct. Eccles.* et l. *Qui condemnare*, numer. 7. ff. *de Re judicat.* Barbosa Axiomat. 14, citans plurimos auctores, et pro regula statuens, quod æquiparatorum eadem sit dispositio, etiam in pœnalibus, exorbitantibus, et correctoriis. Intellige, dummodo sint æquiparata in omnibus, et per omnia: nam si solummodo quoad unum, vel alterum casum pacificantur, secundum hunc dumtaxat procedit extensio, non quoad alium. Glossa in cap. un. § *Sacri de Voto*, in 6; Jason cit. num. 19; Barbosa, ibid. num. 4 cum aliis.

512. IV. *Correctio juris facta super principali, censetur facta super accessorio.* — Quarto. Correctio juris facta super casu principali, censetur etiam facta super accessorio, arg. c. *Translato*. 3. *de Constitut.* juncto c. *Si super gratia. de Officio delegati*, in 6. et l. *Ait prætor*. § *Hæc verba*. ff. *de Negotiis gestis*, cum concordantiis. Nam ubi unum sequitur ad alterum, concessio antecedente videtur concessum consequens. l. *Qui proprio*. § *Item* et l. *Qui procuratorem*. ff. *de Procurat.* Et vicissim, cui committuntur sequentia, etiam præcedentia videntur commissa, per quæ pervenitur ad illa. l. *Ad rem mobilem*. et l. *Ad legatum*. ff. eod. juncta l. 2. ff. *de Jurisdiction. omn. judic.* cum similibus. Dummodo tamen hæc sint talia, quorum unum inseparabiliter sequitur ad aliud: nam si possent separari, et ratio diversa militaret de ipsis, dicta non procederent. Petrus And. Gammarus, cit. tract. *de Extensione*, n. 125 et alii.

513. V. *Fallit regula in correlativis.* — Quinto. Fallit data superius regula in correlativis, quia lex nova corrigens in uno correlativorum, censetur extendi, et corrigere in altero, dummodo in ipso militet eadem ratio. Ita Jason, loc. cit. n. 23; Gammarus, cit. tract. *de Extensione*. num. 119 et 120; Anchoranus c. *Canonum statuta*, n. 74. et 75. *de Constitut.* post Bartolum docens, quod lex corrigens, aut etiam prohibens super uno ex correlativis, intelligatur corrigere, ac prohibere in altero, licet hoc non exprimat, nisi obstet diversitatis ratio. Probatur hæc satis communis doctorum opinio: quia in correlativis est inseparabilis connexio, et uno posito al-

terum necessario sequitur; ergo hoc ipso statum de uno, censetur statutum de altero, nisi obstet ratio diversitatis. Idem probatur passim ex textu multum urgente, l. ult. C. *de Indicta viduitate tollenda*; ubi lex Julia Miscella per novam legem correctæ in fœminis, ut post mortem virorum possint nubere, haud obstante conditione legatis adjecta de non amplius nubendo, censetur etiam esse correctæ in maritis; et additur, quod istud « pertinere ad sensum novæ legis, non est incertum: » quia nempe maritus, et uxor, sunt correlativa; et quantum ad propositum, eadem militat ratio in maritis, quæ in uxoribus, post obitum consortis suæ. Idem igitur dicendum de aliis correlativis, quod nimirum lex corrigens in uno, censeatur corrigere etiam in altero; idque ad sensum pertineat novæ legis, ita nimirum, quod talis extensio fiat auctoritate legis, et juxta mentem ipsius legislatoris.

514. *Correlativorum idem est judicium, eademque disciplina.* — Nec obstat textus in l. *Præcipimus*, C. *de Appellation.* cum concordantiis, n. 501, allegatis. Nam regulariter quidem verum est, quod lex non corrigitur nisi in expresso: fallit tamen hoc inter alia in correlativis, quando pro utrisque militat identitas rationis, juxta cit. L. ult. C. *de Indicta viduit.* Accedit ratio, quia correlativa, cum sint simul natura, posita se ponunt, et precepta se perimunt, juxta Philosophum: ac proinde non mirum, quod dispositum de uno ipsorum, censeatur etiam juxta mentem legislatoris esse dispositum de altero, in quo militat eadem ratio. Hinc illud vulgatum: « Correlativorum idem est judicium, eademque disciplina. » Everardus in loco, *a Correlativis*. n. 8. et seqq.; Barbosa axiomat. 61. citans alios.

515. *Dummodo in ipsis militet eadem ratio. Datur quandoque ratio diversitatis inter correlativa.* — Additur notanter, « Dummodo in ipso militet eadem ratio. » Nam secus est dicendum, quando qualitas, quæ disponitur, vel corrigitur in uno, non competit alteri: prout accidit in illis, in quibus correlativa inter se opponuntur: sic etiam venditor debet dare mercem, non emptor: pater est generans, non filius, et hujusmodi. Item, quando unum correlativorum circa propositum non æque proportionatur alteri, sed datur ratio diversitatis inter ea; tunc enim dispositum, vel correctum in uno, non censetur dispositum, vel correctum in altero,

nisi exprimat. Sic vir et uxor sunt quidem correlativa, sed multa competunt viro veluti capiti, et sapientiori, quæ non competunt uxori: ut habere filium in potestate, administrare domum, posse fungi publicis officiis, etc. Similiter parentes debent thesaurizare filiis, non filii parentibus, juxta Apostolum, II *Corinth.* XII, 14. Ulterius, quamvis actor et reus sint correlativa, nonnulla competunt reo, quæ non competunt actori, ac vicissim; prout in specie partes actoris a principio litis censentur esse favorabiliores, arg. l. *Qui prior*. et l. *Solemus*. ff. *de Judiciis*, ac alibi, in fine autem favorabiliores sunt partes rei, quam actoris, c. *Inter dilectos*, 6, § fin. *de Fide instrument.* c. *Cum sunt partium. de Reg. jur.* in 6, cum concordantiis. Rursus stante statuto municipali, ne frumenta vendantur exteris nationibus, non idcirco prohibetur, nec ipsa emanant ab exteris. Et loquendo de sanctis Martyribus, « tyrannorum mortem injuste inferentium actio divinæ Majestati displicuit: passio sanctorum Martyrum eidem grata fuit. » Idem dicendum in similibus, ubi in correlativis intervenit diversitas rationis.

516. VI. *Fit extensio in correctoriis, quando alioquin sequeretur absurdum.* — Sexto. Limitatur eadem doctrina, quando alioquin sequeretur absurdum: tunc enim etiam in correctoriis debet fieri extensio ad evitandum tale vitium. Jason cit. aulh. *Quas actiones*, n. 24. C. *de Sacrosanct. Eccles.*; Franc. Coscius *Repetit.* in c. *Translato*, n. 51, *de Constitut.*; Petr. And. Gammarus, cit. tract. *de Extensionib.*, n. 137 et 139 ac alii. Neque enim mens legislatoris est fovere absurdum, aut delusoriam facere dispositionem, arg. l. *Scire oportet*. § *Aliud*. ff. *de Excusation. tutorum*, ibi: « Sed etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum, ex quo posset sequi absurdum, tamen mens legislatoris aliud vult. » Concordat textus L. *In ambiguis*. ff. *de Legibus*.

517. VII. *Et ubi agitur de salute animæ, atque evitando peccato.* — Septimo. Idipsum limitatur, ubi agitur de salute animæ, atque evitando peccato: nam tunc dispositio correctoria atque odiosa extenditur ex identitate rationis. Jason cit. n. 25; Gammarus, n. 138, post Bartolum in aulh. *Sacramenta puberum*, C. *Si adversus vendit.* etc.; Abbas c. *Ex tenore. Qui filii sint legitim.* ubi censet, cap. ult. *de Clandest. desponsat.* haud obstante, quod videatur pœnale, tamen ex quo

navit favore animarum, non esse restringendam ad solum impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, de quo expresse meminit, sed dilatandum ad quodcumque impedimentum; cum per dilatationem evitentur animarum pericula, et homines retrahantur ab illicitis contractibus matrimonii. Similem extensionem favore salutis animarum facit Glossa. I. Omnes. §. Apostolica. C. de Feriis. 518. VIII. Item, si alioquin dispositio redderetur delusoria. — Octavo. Fit in correctoriis extensio, si alioquin dispositio de facili redderetur delusoria, arg. c. Si civitas. de Sentent. excomm. in 6. juncta Glossa Clem. 1. §. Sepelire, de Sepultur. et c. Quanquam. §. Aliter facta. de Usuris, in 6. Coscius ubi supra. Gammarus in sæpe cit. tract. de Extensionibus, n. 139, apud quem nonnullæ aliæ habentur fallentiæ, sed minoris considerationis.

## § XX.

## DE REVOCATIONE DECRETORUM CONCILII GENERALIS.

519. Referuntur doctores, volentes, non derogari decretis concilii generalis, absque expressa ejus mentione. Præsertim, si concilium generale sit novissimum. — Queritur I. Utrum ad derogandum decretis concilii generalis requiratur hujus expressa mentio? Non pauci doctores, quos ad longum citat Sanchez, lib. III. de Matrim. disp. 26, n. 7, et Barbosa, part. II. de Offic. et potestat. episc. allegat. 33, n. 24, et Zerola part. II. Præxis episcopalis. §. Absolutio. §. Dico quinto, videntur generaliter docere, quod decretis concilii generalis non derogetur, nisi de eo fiat expressa mentio, similibus verbis: « Non obstante quacumque lege, etiam in concilio generali edita; » sola autem clausula derogatoria generalis non sufficiat. Addit Sanchez, cit. num. 7. post Henriquez, lib. VII. de Indulgent., cap. xxvi, num. 3. et Vivaldum Candelabri, p. 3, c. 12, num. 22, ac sequitur Layman, cit. cap. 1, num. 8, h. t. quod si concilium generale sit novissimum, ut nunc est Tridentinum, oporteat expressam ejus mentionem facere, nec sufficiat generalis derogatio cujuscumque concilii generalis.

520. Rationes horum doctorum. — Ratio horum doctorum est, quia decreta concilii generalis valde matura deliberatione sunt condita; ac proinde videntur continere taci-

tam clausulam derogatoriam omnium posteriorum constitutionum, quæ illis contrariæ sunt, nisi de ipsis specialem faciant mentionem: prout probare nituntur ex c. Ecclesia vestra. 37, de Election. ubi Papa inter alia sic loquitur: « Neque enim credendum est Romanum pontificem (qui jura tuetur) quod alias excogitatum est multis vigilis, et inventum, uno verbo subvertere voluisse. » Idque eo magis locum habere videtur in conciliis generalibus; cum magis examinatum, maturiusque digestum, « imo integrum sit judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur, » prout notatur in c. Prudentiam. de Offic. delegat. sicque, ut tollatur, aut corrigatur, majori eaque expressa revocatione haud immerito opus sit.

521. Rationes horum doctorum. — Eandem sententiam alterius dictæ sententiæ auctores stabilire conantur ex diversis textibus juris, qui aperte dicunt non derogari decretis concilii generalis, nisi fiat expressa hujus mentio: ut in c. Ex part. 3. de Capell. monachor. ubi Papa consultus sic respondet: « Cum autem id obviet Lateranensi concilio, de quo nulla mentio est in litteris antedictis: Fraternitati tuæ breviter respondemus, quod hujusmodi litteras ab apostolica Sede non credimus emanasse: quod si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari concilio supra dicto. » Concordat textus in c. Nonnulli. de Rescriptis, quod est editum in concilio generali (videlicet Lateranensi, sub Innocentio III celebrato) atque expresse declarat litteras apostolicas eidem non præjudicare, « nisi expressam de hac constitutione fecerint mentionem. » Simile quid habetur in c. Eam te. 4. de Ætat. et qualitat. præficiend. ubi inhibuitum fuit, ne personæ quavis occasione, « vel etiam litterarum apostolicarum obtentu, » ad regimen ecclesiarum instituantur contra decreta concilii Lateranensis: cum similibus.

522. Sententia hæc generaliter prolata non subsistit. — Verum hisce nequam obstantibus præfata sententia, sic generaliter prolata, non videtur subsistere; sed oportet distinguere inter constitutiones tum conciliares, tum pontificias, ac inter rescripta: unde ad propositam quæstionem,

523. Per posterius decretum concilii generalis derogatur priori directe contrario, nulla facta mentione prioris concilii. — Resp. I. Per posterius decretum concilii generalis tollitur prius eidem directe contrarium; quamvis in

posteriori non fiat mentio de priori concilio, nec eidem expresse derogetur. Ita Fagnanus in c. Nonnulli, n. 31. et seqq. de Rescript. Pirhing. h. t. n. 136. et alii. Ratio est, quia tunc utrumque decretum pari industria, consilio, et maturitate factum esse dignoscitur: unde ex una parte cessat ratio, ob quam decreta concilii generalis censentur tacite continere clausulam derogatoriam ad rescripta imposterum emananda, quando in his non fit expressa mentio concilii generalis: ex altera vero parte subintrat decisio cap. 1. h. t. in 6. una cum sua ratione ibidem contenta, et generaliter urgente quoad propositum.

524. Idipsum patet ex praxi concilii Tridentini. — Confirmatur hoc ipsum ex praxi, ac stylo sac. concilii Tridentini, utpote quod antiquioribus conciliis nominatim derogare non consuevit, quamvis interdum contra illa ex justis, ac de novo emergentibus causis, aliquid statuendum duxerit: uti patet ex sess. 23. cap. xii, de Reform. et sess. 24. cap. ii de Reform. et alibi, dum ibidem revocavit, seu correxit decreta quorundam priorum conciliorum generalium, etiam corpori juris canonici inserta, absque ulla ipsorum conciliorum speciali mentione, vel derogatione; prout ex professo, ac singillatim ostendit Fagnanus cit. c. Nonnulli. numer. 42. de Rescriptis.

525. Etiam per constitutiones pontificias derogatur prioribus decretis concilii generalis directe contrariis, absque expressa mentione concilii. — Resp. II. Etiam per novas constitutiones pontificias derogatur prioribus decretis concilii generalis sibi directe contrariis, licet in ipsis non fiat expressa mentio, sive derogatio concilii generalis. Ita Glossa in cap. i. §. Noscatur. h. t. in 6. et ibi Archidiaconus, Joan. monachus, Gemnianus, Felinus, et plures alii, quos citat, et sequitur Fagnanus, ubi supra, num. 29. Ratio conclusionis desumitur ex sæpe cap. i, h. t. in 6. ubi generaliter decernitur, quod Romanus Pontifex constitutionem condendo posteriorem, noscatur revocare priorem, quamvis de hac mentionem non faciat; cum omnia jura in scrinio pectoris sui habere noscatur: ergo, cum Romanus Pontifex æque in scrinio pectoris sui habeat decreta conciliorum generalium, pariter hæc per novam constitutionem contrariam revocata comprobantur absque alia mentione concilii. Et hoc eo magis, quia concilium generale non est supra

Papam, sicque nequit ligare manus ejusdem; et opposita quorundam sententia est damnata ab Alexandro VIII, in decreto, die 7 decembris 1690 emanato, in quo præter alias propositiones etiam sequentem, ordine 29, condemnavit: « Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus resolvendis infallibilitate. » Quinimo, ut concilia generalia possint condere decreta totam Ecclesiam obligantia, opus habent auctoritate, et confirmatione Romani Pontificis, utpote a qua omne robur suum accipiunt, c. Significasti. 4. de Elect. estque superius dictum §. 3. n. 63. et seqq.

526. Solvuntur rationes in oppositum. — Neque obstant dicta superius num. 520 et 521. Nam, quod attinet textus juris ibidem allegatos, hi expressis verbis loquuntur de litteris apostolicis, sive rescriptis (per quæ non derogari decretis concilii generalis, ultro conceditur, juxta dicenda n. seq.) non vero de constitutionibus, de quibus procedit præsens conclusio. Neque urget ratio allegata: siquidem non tantum decreta conciliaria, verum etiam constitutiones apostolicæ non nisi magna cum maturitate, et prævia diligenti discussione promulgantur; quamvis ob importunitatem petentium nonnunquam secus accidat in rescriptis.

527. In rescriptis autem sub generali derogatione comprehenduntur decreta concilii generalis, sed opus est expressa mentione concilii. — Resp. III. Loquendo de litteris apostolicis, seu rescriptis contra jus elicitis, dicendum est, quod in his sub generali derogatione non includantur decreta concilii generalis, sed opus sit expressa mentione concilii ad derogandum decretis ipsius. Ita Glossa cap. 1, §. Noscatur, h. t. in 6, ubi rationem disparitatis inter constitutiones, et rescripta pontificia assignat, dicens: « Quia maturius fit legis promulgatio, quam rescripti concessio. » Barbosa, cit. allegat. 33, n. 24 et Sanchez, lib. III. de Matrim. disp. 26, n. 7 et plurimi alii ab istis allegati. Fagnanus incit. c. Nonnulli, n. 28. et seqq. de Rescript. ac novissime card. de Luca, tom. I. discurs. 1. Annotat. ad sacrum concilium Tridentinum, num. 12, hanc sententiam appellant indubitam. Ratio est: quia omnis constitutio concilii generalis dicitur habere tacite clausulam derogatoriam ad rescripta; ut loquitur Felinus in d. c. Nonnulli, n. 2, de Rescriptis,